

ris potest in bonis ex arca communi comparatis, quibusque defunt beneficia iamiam enarrata.

§. X.

Obligari contra nequit, si magistratus in ciuitatibus, et scultetus ac scabini in pagis, vniuersitatis nomine aliquid suscipiant, a) nisi in vtilitatem, atque rem vniuersitatis versum fuerit; Tunc enim omnino tenetur. Hinc si collegium senatorium pro ciuitate mutuum contraxit, eiusque versio in rem illius doceri potest, illud ex bonis vniuersitatis soluendum esse, docet *Lex famosissima 27. ff. de reb. cred.* Ex chirographo vero a senatu nomine ciuitatis publice dato, et instrumento hoc subscriptione consulis, adfessorum, sigilloque ciuitatis munito, contra vniuersitatem processum executiuum exulare, palam est. Nam senatores vniuersitatem non repraesentant, sed illam regunt, et administratorum loco sunt, qui ciuitatem aliter obligatam reddere nequeunt, quam si reperiatur in vtilitatem eius versa pecunia. b) Vbi vero haec demonstrari potest, etiam ex hac institui potest actio contra vniuersitatem.

§. XI.

Obligatur vero, si mutuum a senatoribus, et iis simul, qui vniuersitatem repraesentant, e. g. tribunis, **Biertels-Meistern, und Ausschuss-Personen**, syndicis etc. contractum sit. Tunc exceptionem non versae in vtilitatem ciuitatis pecuniae cessare, et executionem in bona ciuitatis fieri, atque processum executiuum locum habere, vna fere omnium
DD.

a) RAVCHBAR *Part. II. qu. 1. n. 11.*

b) HEROLD. *in tract. de iur. ratif. p. 205. seqq.*